

Promissio A

Est contra officium non numquam promissum solvere sacramentum, sicut heredes qui necem Iohanni prestavit, ne promissum negaret.

Ambrosius libro 1. de officiis.

Promissio B

Quid honestius rem negare, aut longos terminos dare, terminum termino addere? Neganti est hoc tempus calliditas negandi.

Cassiodorus in quadam epistola.

Promissio C

Expectans expectavi Dominum, nec intendit michi. Sperabam quod daret effectum verbum suum et gratiam quam verbis promiserat, operibus exhiberet, adhuc etiam promissam expecto gratiam fortasse sicut Arturum Britannia, sicut Iudea messiam. Magna enim debet esse in promissione discrecio, quia inanis promissio sepe de amicis sibi comparat inimicos.

Petrus Ravennensis in quadam epistola.

Promissio D

Timeo ne in nostra promissione illud vulgare proverbium locum habeat, dum herba crescit equus moritur et dum fugans canis mingit fugiens lupus vadit, dubitatur enim an sit beneficium, cuius dilacio cruciat expectantem.

Idem in quadam epistola.

Promissio E

Sunt qui plura promittunt et pauca reddunt, et eos quibus menciendo promittunt inimicos sibi faciunt.

Glossa super illud Ecclesiastici 20: Mores hominum mendacium sine honore.

Promissio F

Priusquam promittas delibera et cum promiseris facies prius si negaveris fecisse postea fallere est. Id ergo agas ut ne quis merito tuo te oderit.

Seneca in libro de moribus.